ECCLESIARUM
GALLO-BELGICARUM
FOEDERATI BELGII

Per Deputatos ſuos in Synodo Medioburgenſi apud Zeelandos 13 Sept. 1656. congregatarum,

De R. viri, Domini *Ioannis Durei*, Irenico Iudicium.

ANNO cIↃ IↃc LVI.

ECCLESIARUM GALLO-BELGICARUM

Fœderati Belgii per Deputatos ſuos in Synodo Medioburgenſi apud Zeelandos 13. Sept. 1656. congregatarum,

De R. viri, Domini *Iohannis Duræi* Irenico judicium.

QUo loco verum pacis ſeu conciliandæ & promovendæ ſeu conſervandæ & colendæ ſtudium apud Chriſtianos imprimis habendum ſit, vel ſolum illud ſummi Illius inter Deum & homines εἰρηνοποιοῦ Servatoris noſtri IeſuChriſti effatum luculenter oſtendit, quo publicum ſuum miniſterium à Beatitudinis eulogiſmis exorſus, eos prædicat beatos & glorioſa in filios Dei adoptione remunerandos, qui huic ſtudio animum addixerint: unde conſequitur, quò pacis procurandæ objectum altius eſt & nobilius, media potiundi ſcopi abſtruſiora, labores exantlandi diuturniores, ſperatus inde fructus uberior, eò laudabilius & majori dignum commendatione eſſe hoc ſtudium. Jam verò cùm objectum nobilius præclaro huic occupando inſtituto offerri nequeat, quàm campus Eccleſiæ Ieſu Chriſti, nec ulla culturæ media ob triſte animorum divortium pravo

carnis affectu & Sathanæ artibus sufflatum, intricata magis & abstrusa, proindeque nec laborum moles ulla major, nec messis ulla (quæ summa Dei gloria totque myriadum animarum salus) uberior; meritò hoc nomine non nobis duntaxat, sed & omnibus bonis commendatissimus, indiesque commendandus vir infracti animi & domus Dei zelo flagrantissimus *D. Iohannes Duræus*, Theologus eximius, celeberrimus Ille Ecclesiæ Evangelicæ ἱερηοδιάκτης, qui tametsi triginta fermè annorum spatio laudatissimo huic labori impenso, variis molestissimisque ad exteras & longè dissitas Ecclesias exiguo quandoque successu, susceptis peregrinationibus, immensis difficultatibus tantum non oppressus, vegetioris ætatis viribus propemodum exhaustis, adeoque ipsâ experientiâ edoctus, quantæ molis esset tantum (pro desperato à plurimis habitum) conamen; Dei tamen opt. M. sustentatus auxilio animum non despondit hactenus, sed malis minimè cedens contra ivit audentior, adeò ut innumeris eluctatus remoris, spes conficiendi negotii, Deo piis votis cœptisque benigne annuente, effulgeat haud exigua, cujus illustria nobis documenta, tam à summis Magistratibus, Principibus & Rebuspublicis utriusque professionis Evangelicæ Protestantibus, quàm à Reformatis per Europam Ecclesiis, Pastoribus & Theologis, Britannis videlicet, Helveticis, Genevensibus, Wetteravicis, Nassovicis, Hassiacis, Palatinis, Anhaltinis, Lippiacis, Embdanis, Bremensibus, Iuliacensibus, Gelricis, aliisque innumeris profecta, in conventum nostrum coràm admissus exhibuit, obnixè rogans ut & nostrum super tam laudabili instituto mediisque ad id requisitis judicium & συμβολὴν addere, quo de professionis nostræ

ſtræ hac in parte conſenſu & aſſenſu apertius conſtare poſſet, non gravemur; cui æquiſſimo poſtulato facere non potuimus quin annueremus, ſanctum hunc conatum non probantes duntaxat, ſed &, uti antehac, ita nunc denuò ſummopere laudantes, omni tempore, ſi quid momenti in nobis ſitum, illud in bonum publicum protinus effundere cum Venerandis Eccleſiarum Belgicarum Fratribus collatis operis paratiſſimi: & media quidem quod attinet, quandoquidem de iis piè, doctè, ſolidè, eâque quâ pro ſubjecti dignitate & merito decebat ἀκριβείᾳ diſſertatum fuit ab aliis, prolixius de iis impræſentiarum agere ſupervacaneum erit, præſertim cùm omnium in eum rei tractandæ finem & ordinem collimare videantur ſtudia, qui & nobis in tam arduo capeſſendo negotio vehementer probatur, nempe:

1. Ut primùm & ante omnia totius inſtituti fundamentum & ratio cum Evangelicis utriuſque partis ſummis Magiſtratibus communicetur, eorumque in eo inchoando, promovendo & feliciter terminando imploretur conſenſus, concurſus & authoritas.

2. Ut eorundem juſſu publicus in loco quodam commodo indicatur conventus, ex utriuſque partis piis, doctis & moderatiſſimis Theologis conſcriptus, qui ἀπαθέστατα ὁσιότητι, omni carnis affectu ſepoſito, opus hoc in timore Domini aggrediantur, nec ſub ejus onere fatiſcant, donec illud ad optatum finem perduxerint.

3. Ut durante conventu publicè indies & ardentes per omnes utriuſque partis Eccleſias pro felici ejus ſucceſſu fundantur preces.

4. Ut plenus in omnibus fundamentalibus fidei articulis aſſeratur & ratificetur conſenſus, iſteque conſenſus ex antiquiſ-

quissimis & ab omnibus approbatis utriusque partis confessionibus ex verbo Dei concinnatis, promatur.

5. Ut, si quid à confessionibus illis alienum, quod licet fundamentum non evertat, circa illud tamen versetur, illudque (adeoque Dei verbum) aliquo modo sive eminus sive cominus lædat, postmodum irrepserit, rescindatur.

6 Ut in rebus adiaphoris, ceremoniis puta & ritibus Ecclesiasticis, quantum fieri potest, ad facilitandum Syncretismum stabiliatur conformitas, eaque cum Ecclesia veteri Apostolica quàm maximè conveniens.

7. Quod si verò in rebus circa fundamentum versantibus concordia obtineri nequeat, adeoque à receptis confessionibus longius (quod tamen Deus perbenignè avertat) recedatur, mutua saltem sanciatur tolerantia, quâ quisque judicio suo liberè fruens, fraterna charitate & mansuetudine socium licet aliter sentientem, complectatur, ab ejusque sacris sive publicis sive privatis non abhorreat, donec Deo, in cujus manu sunt corda hominum, mutuum charitatis vinculum intellectu pariter & affectu coalescentibus animis, arctius stringere, visum fuerit,

8. Ut in hunc modum confecto negotio, præteritorum omnium amnestia, candido pectore promittatur, religiosa mente conservetur, scholasticis altercationibus finis imponatur, injuriosum illud & fallax sæpenumero ex consequentiarum pondere argumentandi genus, quo alterius partis causa præter ejus mentem gravatur & convitiorum fenestra aperitur, penitus exulare jubeatur.

Hisce stipulatis conditionibus, dubium non est, quin Deus O. M. pio conatui affatim benedicturus sit, quem idcirco arden-

ardentibus noſtris votis fatigari non ceſſabimus, ut Eccleſiæ ſuæ medicam adhibens manum præter naturæ curſum in ſecunda concoctione, quod in prima prævalentibus Sathanæ machinis neglectum fuit, reſarciat, funeſtiſſimi ſchiſmatis, cum quo tot abhinc annis miſerè conflictata eſt, è medio ejus tollat offendiculum, quò ab iſto, quem in proprio ſinu hactenus fovit, liberata hoſte, firmiorique ſtatione locata, conſertis manibus & operis Antichriſtianum Regnum ſpiritualibus armis validius ſubvertat, ſummuſque animarum paſtor Dominus noſter Ieſus Chriſtus etiam in Eccleſia ſua militante incipiat eſſe πάντα ἐν πᾶσι. Eundem quoque patrem Luminis, à quo omnia præclara dona eælitus deſcendunt, intimo cordis affectu veneramur, ut dilectiſſimum noſtrum Fratrem D. Iohannem Duræum prædictum, ad novas nunc expeditiones accinctum, athletica corporis valetudine & invicto animi robore præſtet inſtructum, prudentiæ & conſilii ſpiritu perpetuò ei adſit, per Angelum pacis viam ipſius dirigat, impedimenta omnia ab humani generis hoſte ſive objecta ſive objicienda diſcutiat, favorem ei & benevolentiam apud omnes ſive politicos ſive Eccleſiaſticos conciliet, quò tam præclaro operi, cui vitam ſuam conſecraſſe videtur, veluti σκῆνος ἐκλογῆς in manu Domini ante emenſum vitæ curriculum colophonem fæliciter imponat, Eccleſiamque Jeſu Chriſti per totam Europam ſuo & omnium piorum gaudio videat pacatam, Amen.

CAROLUS De ROCHEFORT

Synodi pro tempore præſes.

I. LE LONG *Synodi p. t. Scriba.*